

sua possessione pacifica prout sui predecessores fuerunt non impediatis seu perturbetis, ac vos domine rector contra huiusmodi nostram cassationem inhibitionis vestre quo ad dictum magistrum Petrum nihil attemptetis, vosque venerabilis domine ordinarie non obstante dicta inhibitione rectoris ad promovendum ipsum magistrum Petrum in baccalarium iuridice facultatis, si alias habilis fuerit et canonicum non obsistat, promovere curetis, non obstantibus omnibus premissis, omniaque premissa et singula mandamus auctoritate apostolica premissa per vos et quemlibet vestrum inviolabiliter sub debito obedientie observari. Et si secus quod absit factum fuerit contra dictum dominum prepositum aut magistrum Petrum in ipsorum preiudicium, dampnum sive gravamen, illud iustitia mediante curabimus revocare, cum parati sumus de ipsis cuicumque querenti meram iustitiam ministrare. Quare etiam damus licentiam dicto domino preposito, recipere possessionem de qua spoliatus est et dicto magistro Petro actum suum complendi secundum quod in dicto studio fieri est consuetum. Datum Merseburg anno a nativitate domini MCCCXL tertio, feria secunda proxima post festum sancti Pauli apostoli conversionis, nostro sub impresso sigillo.

38.

Notariatsinstrument über eine Appellation der Universität an den päpstlichen Stuhl und das bevorstehende allgemeine Concilium wegen einer jüngst erlassenen Anordnung des Bischofs von Merseburg, wonach dem Probst zu St. Thomas in Leipzig der Rang nach dem Rektor der Universität und vor allen Magistern und Doktoren zugestanden worden ist. Leipzig, 1443 Febr. 17.

*Hdschr.: Universitätsbibliothek Leipzig Cod. mscpt. No. 176 fol. 297^b—298.
Gedr.: Cod. dipl. Sax. reg. II, 9, 197—199.*

In nomine domini. Amen. Anno a nativitate eiusdem millesimo quadringentesimo quadragesimo tercio, indictione sexta, concilio Basiliensi durante, mensis februarii die XVII, hora nonarum vel quasi, in opido Lyptzk Mersenburgensis dyocesis ibidem in stuba collegiatorum collegii maioris, in mei notarii publici testiumque infrascriptorum presencia, personaliter constitutus venerabilis et circumspectus vir Caspar Weygil, arcium magister sacreque theologie baccalarius, rector alme universitatis studii Lyptzensis antedictae dyocesis, quandam papiri cedula, modum et formam appellacionis in se continentem, in manibus suis tenuit et in medium produxit ac legi fecit, in qua nomine universitatis appellavit, procuravit apostolosque petivit et alia fecit, prout in ipsius cedula tenore plenius et lucidius continetur, qui sequitur et est talis: Cum appellacionis remedium nedum in subsidium et relevamen indebite oppressorum virorum eciam ad obviandum gravaminibus futuris utriusque iuris sanctionibus salubriter sit adinventum, hinc est quod ego Caspar Weygil, clericus Vratislaviensis dyocesis, rector alme universitatis studii Lyptzensis Mersenburgensis dyocesis coram vobis domino notario publico tamquam autentica persona et testibus hic astantibus, animo et intencione dicte universitatis appellandi, provocandi, apostolos petendi et recipiendi dico et propono, quod licet alias